

Dictum nostrum, quod substernendum, reperitur in Johanna Apocalypsi cap. XIV. 13. Juxta Fontem, Versionesque tum Latinas, tum Germanicam, ita se habens:

Fons: Μακροί οι νεκροί οι εν κυρίω ἀποθνήσκοντες ἀπάρηι. Ναί, λέγει τὸ πνεῦμα ἵνα ἀναπαύσῃται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν, τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν.

Vetus: Beati ab hoc tempore mortui ii, qui Domini causa moriuntur. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.

Vulgata: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; Opera enim illorum sequuntur illos.

Sebast. Schmidii: Beati mortui qui in Domino moriuntur ab nunc. Næ, dicit Spiritus, ut requiescant ex laboribus suis, opera verò illorum sequuntur cum illis.

B. Lutheri Germ: Seelig sind die Todten/ die in dem HErrn sterben von nun an. Ja der Geist spricht/ daß sie ruhen von ihrer Arbeit/ denn ihre Werke folgen ihnen nach.

§. II. De Auctore & Auctoritate hujus libri canonica aliquid dicere superfedeo. Sciendi hac de re quædam cupidos ad Disputationem, sub Moderamine Venerabilis Dn. Præsidis mei, Præsidi M. Gustavo Schrödter/ de Apocalypsi & Auctoritate canonica & præcipue ad Auctorem Johannem Evangelistam & Apostolum indubitato referenda, heic Kostochoii 1697. habitam, mitto. Idcirco connexionem dicti Apostolici cum antecedentibus brevissime monstrare mei erit instituti. Fuerat Evangelista & Apostolus Johannes in Insulam Pathmos sic dictam relegatus, habueratque ibidem visiones multas & varias. Inter quas præprimis illæ, hoc in capite occurrentes, perpendendæ. Apparuerat ei Agnus inculpatus & incontaminatus 1. Petr. I. 9. Apoc. VII. 17. qui antea in deicensu gratuito nominabatur validus Apoc. X. 1. sc. Christus, qui tollit peccatum mundi Joh. 1. 29. Agnus ille ad mactationem ductus Es. LIII. 7. mactatus, & occisus Apoc. V. 6. 12. Coram quo agno, scil. Christo, viginti quatuor senes canticum novum inchoantes canebant, Apoc. V. 8. Cui Agno & Deo magna illa & innumerabilis cohors ex omnibus gentibus ac populis vestibus candidis & albis, i.e. perfecta & vera sanctitate, induta, & palmas in manibus ad victoriam & triumphum indicandum, gestans, voce καὶ ᾄδου canebat, dicens: Salus à Deo nostro insidentis throno & Agno, Apoc. VII. 9. 10. Huncce Agnum, Christum, vidit Johannes super